

<Opiniones de uerbo substantiuo e cod. BAV Vat. lat. 1486>

43va Nota 'sum' significare actionem uel passionem secundum
M. ***, secundum hoc quod large accipit 'significare actionem
5 uel passionem' quicquid principaliter significatur a uerbo. Et est
aequiuocum ad omnes essentias et omnes actiones uel
passiones, et tantum ualens est quantum 'legit' uel 'currit', sicut
superius large accepimus substantiam quaslibet essentias.

Vel secundum alios 'sum' significat actionem in
10 substantiis, quia substantiae substantant accidentia, accidentia
uero substantantur, quod pertinet ad passionem.

Vel secundum alios 'sum' significat actionem in creatore,
passionem in creaturis, quia esse dei agere est. Si enim deus
numquam potest esse quin agat in nobis, sic nos semper
15 patimur.

Vel secundum magistrum W. 'sum' aequiuocum est ad
omnes actiones et passiones et ad omnes essentias. Atque ex eo
quod uerbum est, solum habet copulare actionem uel
passionem, sicut cetera uerba solum suas actiones et passiones
20 copulant rebus subiectis, ut 'legit' copulat lectionem solum. Ex
eo uero quod uerbum substantiuum est, copulat essentiam
essentiarum, utpote 'Socrates est animal'.

Vel secundum alios, nolunt, ex eo quod uerbum est,
actionem uel passionem copulare, ex sua priuata natura
25 copulare essentiam essentiae, sed solum copulat ex eo quod
substantiuum est. Et hinc conicere possumus quia nullum
uerbum copulatur sine ui huius uerbi, quia tantum ualet
'Socrates legit' quantum 'Socrates est legens'.

3 uel] in V 4 ***] *eras*. V 5 et est] etiam V 6 omnes²...uel] omnis actio
consimilis V 7 tantum V²] tamen V 8 essentias] continuas V 10 substantant
] substantat V 21 essentiam] essentia V 27 tantum] tamen V

1 Opiniones] first edited by Karin Margareta Fredborg, « *Tractatus Glosarum
Prisciani* in ms. Vat. lat. 1486 », *CIMAGL* 21 (1977), p. 27-44, published here
after revision

Quid ergo dicemus ? Omne uerbum significare actionem uel passionem de propriis uerbis intelligendum est.

Et nota uerba actionem uel passionem significare secundum hoc quod pars praeteriit, pars in instanti, pars futura est, quod non faciunt substantiua et uocatiua, quae significant actionem uel passionem totam simul et ideo excipiuntur. Vel de uocatiuis et substantiuis intelligendum est quod uocatiua uerba, ex eo quod uerba sunt, actionem uel passionem, ex eo quod uocant, copulant essentiam essentiae, cum hoc est quod redeant ad eundem sensum ad quem substantiua. Quia cum dico ‘Socrates uocor’, copulo nomen rei subiectae, si nomen cassum non potest copulari, id est si non sine significato uocis, sic ergo unum ualet cum dico ‘Marcus uocor’ quantum ‘sum’, et non secundum quod uerba, sed secundum quod substantiua uel uocatiua.

Et nota quod uerba ex eo quod significant rem in tempore, id est inhaerere, copulant praedicatum subiecto. Quod faciunt secundum magistrum A. participia, scilicet copulant suas res subiectis, utpote ‘Socrates legens disputat’, sed quia tale genus locutionis suspensiuum est, ideo semper expetit aliud uerbum sibi adiungi.

Sed secundum magistrum W. participia non copulant, sed solum determinatio est subiecti, et tantum ualet ‘Socrates legens disputat’ quantum ‘Socrates ens legens disputat’, ueluti si dicam ‘Socrates albus disputat’ pro ‘ens albus disputat’.

Secundum magistrum An. omne uerbum significat actionem uel passionem large acceptum, ergo ‘albet’ concedit. Sed, ut Priscianus dicit, uerbum significat rem cuius pars iam praeteriit, pars est in instanti, pars futura est, sed ‘albet’ rem

28 Priscianus] VIII.51 (414.10)

6 totam] totas V 9 copulant] copulante V 10 substantiua] substantiam V
13 cum] eam V | marcus] m V 14 substantiua] substantiam annua V
17 quod] quid V 23 socrates] scilicet V 24 socrates] scilicet V 29 rem]
om. V

totam simul per partes succedentem. Solutio, 'albet' significat rem non transeuntem, id est non per partes transeuntem, sed significat rem ut transeuntem, ut pars iam coepta sit, idem iam in praesenti uel in futuro. Quare ergo solum exceptit
5 substantium ? Solutio, quia illa significant ut transeuntem in subiecto, substantiua uero significant aliquid substantiae, id est partem ipsius substantiae.

4 exceptit] VIII.51 (414.14)